



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Meditatio pro virtute acquirenda

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

hominum, quâ vitio illo N. infectos pœnâ, quo contrariâ virtute præditos, præmio dignos astiment. Secundò considera, quàm placeat hoc vitium diabolo, & quo pacto per vitium veneno voluptatis, mortem propinet; quòd si habeas, sit fastidio; si desideres, inexplebili desiderio & inquieto te cruciet. Tertiò considera, si in hoc te mortificaveris, Deum ab alterâ parte quasi coronam, & ineffabile gaudium pollicentem; quia gaudium virtutis opus sequitur, tam in hâc vitâ, quàm in futurâ: & quàm stolidum hosti credere potius, quàm Salvatori amantissimo. Quartò considera, quid amico hâc in re consuleres, & in morte fecisse optares, &c. *Hæcine firma fide, &c. ut sup. pag. 8.*

Meditatio pro virtute acquirenda.

*Quid sit
virtus.*

PVNCTVM I. Considera, virtutem nihil aliud esse quàm habitum, quo animus hominis sanatur, ac velut cæcus illuminatur, claudus ambulat: & quandoquidem hâc in corpore ita optemus, quântopere ea in animâ optare oportet. Secundò quòd sicut se homo à vitiiis corporis, v.g. cæcitate, curare non potest, ita nec ab ullo vitio animæ sine Dei singulari gratia, quidquid adhibeat remediorum, &c. cùm omnia tantùm operentur quantum illis tribuit Deus: ideoque totum illi tribue. Tertiò, cogita triplicem esse virtutem, Politicam, Hypocriticam, & Veram. Et quæ hæc? quæ sincerè Deum amat, eique verè placere studet, quâ animâ se ornat, ut velut sponsa sponso placeat. Hunc finem habe ob oculos positum, huc toto pectore aspira.

Effectus virtutis, &c.

Credo tibi, &c. ut supra pag. 7.

PVNCTVM II. Considera virtutis naturam, effectus, causas, finem, gradus; hi autem sunt. Primò, propositum acquirendæ virtutis; Secundò, fortitudo aduersus tentationes & difficultates; Tertiò, delectatio in usu virtutis. Attende etiam, quid in intellectu, quid in voluntate, quid in externis, & operatione efficere soleat, & quomodo

quomodo potentia tua erga illam versetur; signa denique & occasiones. Secundò, considera pulcritudinem & honestatem, quàm rationi conformis sit, quàm decens Christianum & Religiosum. Tertiò, quàm procul ab hâc fueris, & sis. Quartò, quanta ejus necessitas. *Hæcine vera, ut sup. pag. 7.*

PUNCTUM III. Considera virtutis commoda. Primò, animæ illius quietem & tranquillitatem, & ordinationem, in quâ ipse imperat. Secundò, etiam corporis robur, quia virtutes, dum sedant passiones, corpus vegetum reddunt. Tertiò, incommoda ex virtutis defectu, sæpè enim ô quoties fit, ut parva res in speciem, non sublata per virtutem, impediatur bona plurima, sitque velut obex ostium claudens deliciis spiritualibus. *Commoda virtutis. Res parva quantum sæpè noxia.*

Hæcine vera, ut sup. pag. 7.

PUNCTUM IV. Considera sententias graves sacrae Scripturae; Secundò, Sanctorum; Tertiò, sapientium; Quartò, bonorum commune judicium; Quintò, regularum si Religiosus es, obligationem; Sextò, media, quibus Sancti usi sunt. *Auctoritas Auctorum.*

PUNCTUM V. Considera exempla, ac primò quidem in Deo opt. max. (ut docet D. Thomas in opusculo de Divinis moribus, quos imitandos proponit) Christo Domino, B. Virgine, velut tibi in particulari data ac relicta, item in Sanctis, Philosophis, & aliis; postremò in familiaribus. *Exemplorum.*

PUNCTUM VI. Considera Primò, quàm grata sit Deo virtus. Secundò, gloriam & laudem eorum qui hâc claruerunt in hoc mundo, tam Sanctorum, quàm Philosophorum. Tertiò, premium cæleste quod virtuti debetur, & certanti bonum certamen à Domino tribuetur. *Hæcine firma fide, ut sup. pag. 8.*

Alia Meditatio esse potest de Jaculatoriis aliquibus juxta secundum orandi modum, de quo c. 9. l. 1.

Vide Exercitium quod supra habes, post examen, nam huc etiam pertinet.

JACVLATORIÆ.

- Pfalm. 5. **D**omine, deduc me in iustitiã tuã propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.
- Pfalm. 79. **Q**ui regis Israël, intende, qui deducis velut ovem Ioseph.
- Pfalm. 39. **D**eus virtutum. convertere, respice de celo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam quam plantavit dextera tua.
- Pfalm. 37. **D**omine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.
- Pfalm. 118. **E**xitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.
- Ibid. **I**niquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.
- Pfalm. 38. **A**b omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.
- Pfalm. 50. **A**mplius, lava me ab iniquitate meã, & à peccato meo munda me.

SEPTIMÆ IMAGINIS
ANNOTATIO.

Provide actiones tuas; ac de iis coram Deo dispone, ad gloriam magni nominis eius.

Considera, quæ agenda hodie, hæc **A** horã, atque perinde quasi in stadio curreres, **B** opera ac passus dirige ad metam, id est, ad Dei gloriam, **C** corde ardenti: certoq; scias, te sine **D** gratiã Dei nihil posse. eã itaque postulata, opera tua fac, velut in **E** pondere, numero & mensurã, & non aliter, quàm si **F**. mors sequatur, **G** Angelusq; & **H** demon te tuãq; omnia vigilanter observent. Imò **I** bona opera ita fac, ac si tibi **K** sepulcrum jam foderetur. Meque hoc tantum, sed opera tua perfice **L** Christi Sanctorumq; exemplo; quæ **M** Angeli Deo offerunt. Ante omnia autẽ semper advertite, ac meminere **N** Deum te, cum celesti curiã semper intueri.

CAPVT